Universitätsbibliothek Paderborn

# Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Index Concionatorius Seu Exordia. Pro omnibus Dominicis per annum, ad quas Discursus de planctu Ecclesiæ, & animæ applicari possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52659

Visual Library

# INDEX CONCIONATORIUS

*Seu*

# Exordia.

## *Pro omnibus Dominicis per annum, ad quas Diſcurſus de planctu Eccleſiæ, & animæ applicari poſſunt.*

### *DOMINICA I. ADVENTUS.*

### Thema.

Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. *Luc.21.v.26.*

### *PROPOSITIO.*

***Nunquam de auxilio Dei diffidendum, qui ſuccurrit in caſibus deſperatis, & ſe ad extrema reſervat, quando de omni humano auxilio conclamatum eſt.***

PErituri mundi ſigna partim in lectione huius ſancti Evangelij, partim in verbis immediatè antecedentibus à Domino memorata fuiſſe, notat Magnus Gregorius, cùmque ex ijs aliqua jam facta, alia verò in proximo eventura agnoſceret, deſperatum iam mundi ſtatum, & proximè periturum ominabatur. Sed ſi modernam mundi faciem contemplemur eam planè multò magis periculoſam depræhendemus; nam præter peſtilentias, fames terræmotus, & ignitorum cometarum comminantes caudas, & virgas, non ſolùm gens contra gentem, ſed omnes Chriſtiani populi, & magnates per univerſum orbem cruentis prælijs in ſe invicem inſurgunt, *areſcentibus* pene *hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi*, cui in tanto principum & magnatum confuſione & diſcordia, nihil niſi interitum, & funeſti finis præludia ominari poſſumus, cùm nulla ſuppetant humana auxilia, quibus mundi in maligno poſiti, & perverſi ſalus reſtitui poſſit.

*S Gregor. hom. 1. in Evang.*

*Deſperatus mundi ſtatus.*

His tamen omnibus non attentis, *Reſpicite, & levate capita veſtra*, in Deum ſcilicet ſpem & fiduciam veſtram collocando, de cuius auxilio nunquam diffidendum, ipſe enim deſperatis adeſt caſibus, ad extrema ſe reſervans pericula, quando de omni humano auxilio iam penitus fuerit conclamatum, uti in decurſu huius concionis probabo. *Diſc.47.*

*A Deo reſtitui poteſt*

Item, Deus etiam levia peccata graviter punit *Diſc.30.inf.in Dom.4.Pent.*

### *DOMINICA II. ADVENTUS.*

### Thema.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. *Matth.c.11.v.2.*

### *PROPOSITIO.*

***Tribulatio ſchola.***

LIbertatem corporis æquè, ac animi requirit diſcendi ſtudium, unde & antiqui Philoſophi in publicis plerumque Academiis (& quidem peripatetici

libere deambulando ) ſapientiam edocti, & profeſſi ſunt. Sed ſanctus Chriſti præcurſor in carcere & vinculis ( dum adire divinam Sapientiam ipſe vinctus non poteſt ) cœleſtis ſcientiæ doctrinam per internuncios diſcipulos haurire ſtudet, quaſi Academiam inter vincula erecturus: *cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* nempe ( uti Hugo Cardin. ad
Hugo Cardin. hunc paſſum notat ex Iſaia ) *Sola ve-*
Iſ. 28. v. 19 *xatio intellectum dabit auditui*, & ma-
Hugo hic ximè ad divina ſtudia ingenium acuitur in vinculis, nempe in vinculis *tribulationum*, adeò, ut dicere non verear, tribulationem ſcholam, & Academiam eſſe, in qua boni à malis in omni ſcientiarum genere exerceantur, & erudiantur. *Diſc. 26*, Item arundines vento agitatæ ſunt ambitioſi. *Diſc. 29. Infra Dom. 4. Quadr.*

### *DOMINICA III. ADVENTVS.*

## Thema.

Ego vox clamantis in deſerto. *Ioan. 1. v. 23.*

*PROPOSITIO.*

*Cor peccatoris, eſt horridum deſertum, in quo avidè venatur Deus.*

UT Iſaiæ Prophetiam impleret Præcurſor Chriſti, ſe vocem nominat clamantem in deſerto: *Ego vox clamantis in deſerto.* Sunt, qui hæc verba aliter interpungant, ita ſcilicet, ut *vox*
Vide Cornel. *clamantis*, ſimul ponatur, deinde ( in de-
Iſa. c. 40. ſerto parate viam Domini ) per hoc qui-
Hugo in dem deſertum, intelligit Hugo Cardin.
Luc. c. 3. *Peccatores deſertos à gratia*, vel ipſum cor peccatoris, deſertum à Deo, ac vitiorum ſpinis ac tribulis horridum, hoc ergo horridum deſertum, in quo ipſum divinum verbum, ejuſque vox, divini ſcilicet verbi præcones viam parant, & avidè venantur, in præſenti concione ob oculos ponam. *Diſc. 44.*

Item, miſerunt Iudæi ſacerdotes & Levitas *&c.* Ex mala paſtorum vita, non eſt rejicienda eorum doctrina. *Diſc. 25. Infrà Dom. Sexageſima.*

### *DOMINICA IV. ADVENTVS.*

## Thema.

Vox clamantis in deſerto. *Luc. 3. v. 4.*

*PROPOSITIO.*

*Mundus totus, quaſi horridum deſertum eſt.*

ARridet excæcatis mundanis, ac vanis mortalibus compta mundanæ vanitatis facies, dùmque eximia ac ſuperba contemplantur ædificia, regumque turres & palatia, hortorum ordinata arborum ac plantarum ſerie conſitorum delitias, artificioſos ſalientium aquarum luſus, ſplendentem in auro, argento, ac gemmis, veſtium luxum, cœleſte aliquid ac ſydereum ſibi imaginantur, iamque ſe verſari in paradyſo æſtimant, ab hominibus tam comptè ornatis, tanquam Angelis inhabitato.
Sed ſi bene cum S. Auguſtino rem per- S. Auguſt.
pendimus; *Agnoſcimus nos iter agere* Tract. 28.
*in eremo: Quid eſt in eremo? In deſerto.* in Ioann.
*Quare in deſerto? Quia in iſto mundo.*
Eſt namque eodem Doctore teſte, *ſecu-* S. Auguſt.
*lum iſtud, malum deſertum, horribile* in pſ. 62.
*& timendum.* Hoc ergo deſertum perſcrutando in illo vocem præconis cum præcurſore Domini agam *Diſc. 43.*

Item, *Baptiſmum, Pœnitentiæ &c.* de efficacia contritionis & pœnitentiæ. *Diſc. 38. Infrà Dom. 10. Pentec.*

### *DOMINICA I. EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Ecce Pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. *Luc. 2. v. 48.*

*PROPOSITIO.*

*Anima amiſſo Deo, etiam in multitudine creaturarum, ſola eſt, & quaſi vidua.*

DOlens cum S. Ioſepho quærebat Filium ſolicita Mater eò magis dolore concuſſa, quòd hunc haberet unicum, in quo tamen poſſidebat omnia: ipſe

enim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enim erat Deus ejus, & omnia,& ſic eo uno deperdito, amiſit omnia. Nec conſolari eam poterant creaturæ omnes, Creatore amiſſo, ſine hoc enim unico, omnia nihil ſunt, & tamquam accidentia ſubtracta ſubſtantia, evaneſcunt. Circa vana hæc creata entia & accidentia verſantur plerumque vani
Luc. 10. v. 41. mortales, & cum Martha ſolliciti ſunt circa plurima, cùm tamen unum ſit neceſſarium, nempe *Deo jugiter inhære-*
Gloſſa interlin. *re* uti interlinearis gloſſatur. Hinc magnus ille contemplativus F. Ægidius dicebat: *Una uni.* Una ſcilicet anima, uni Deo adhæreat, huic enim uni, & ſoli copulata poſſidet omnia: è contra anima ab uno & ſolo Deo ſeparata, in multitudine omnium creaturarum, ſola eſt, & infelix vidua. *Diſc. 2.*

Item, nemo viam perfectionis ad quærendum Ieſum vult ingredi. *Diſc. 7. infrà Dom. Septuag.*

*DOMINICA II. EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. *Ioan. 2. v. 3.*

*PROPOSITIO.*

***In neceſſitate ille adeundus, qui juvare poteſt, nempe Deus, non mundus, non dæmon &c.***

Deficiente in nuptiis vino interpellatur, Mater Ieſu, quam *paupertas*
Hugo Cardin. *conjugum movit* (ait Hugo) *ut defectum vini indicaret filio ſuo, quem ſciebat poſſe ſupplere omnem defectum:* prout ipſe effectus feliciter docuit. In multis ſubinde defectum patimur miſeri mortales, jam deficit ſuſtentatio neceſſaria, jam pecuniarum ſubſidium, jam corporis valetudo. In his neceſſitatibus ſubinde recurrunt homines ad amicos carnales, ſubinde ad ariolos, & ſuperſtitiones, ipſumque conſequenter dæmonem. Sed malo, & irrito conatu, in neceſſitatibus enim ille adeundus, ad illum extendendæ manus, qui juvare poteſt, nempe ad Ieſum, & ſacratiſſimam Matrem ejus. *Vide Diſc. 36.*

Item, per vinum conſolatio ſpiritualis, per aquam verò turbidam Ægypti, lætitiæ, & delitiæ carnales intelliguntur; convertit igitur Chriſtus aquam in vinum, non autem aquæ miſcuit vinum, aut vino aquam, volens nos docere, conſolationes carnales, & terrenas in cœleſtes, & ſpirituales converti debere, non autem has illis poſſe miſceri, quæ ſimul ſtare, & ſe invicem compati non poſſunt. *Diſc. 12. Infrà Dominic. infrà Octav Aſcenſionis.*

*DOMINICA III. EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites. *Matth. c. 8. v. 9.*

*PROPOSITIO.*

***Gemit Eccleſia, quod magnifici ſui punctum honoris non in generoſis, & virtuoſis, ſed vitioſis actibus, & vanitatibus ponant.***

Generoſum militiæ nomen, & exercitium eſt, ac ſummæ nobilitatis ſeminarium, quo gloriari etiam videbatur Centurio noſter Evangelicus, de ſua in milites poteſtate glorioſus: *Dico huic vade & vadit, fac hoc & facit.* Non tamen ita in ſua poteſtate erat elatus, ut in ea punctum ſui honoris, ſed magis in virtuoſis quæreret actibus, ex ſumma humilitate indignum ſe conteſtatus, cujus tectum intraret Chriſtus, & ex maxima compaſſione erga ſervum ſuum ægrotum, ipſe cœleſtem conveniens Medicum, ita viva fide in hujus confiſus potentia, ut ipſe conteſtaretur Dei Filius, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Rara hoc virtuoſi herois exempla uti miratur Eccleſia, ſic gemit, quod hodie magnifici ſui & anteſignani, virtutum parum ſtudioſi, in vitioſis tantùm actibus, & vanitatibus punctum hono-

ris vaniſſimè, & falſiſſimè quærant. *Diſc.* 1.

Item, *Puer paralyticus* &c. Fideles à primævo fervore receſſerunt, languidi, & quaſi paralytici. *Diſc.* 15. *infrà Dom.* 14. *Pentec.*

*DOMINICA IV. EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. *Matth. c.* 8. *v.* 24.

*PROPOSITIO.*

*Anima à Deo, tamquam firma terra recedens inſtabilis eſt, ſicut navis in mari.*

QVi in domo ſupra petram firmata habitat, aut terræ firmæ ac littori inſiſtit, immotus inſtabiles ſpectat fluctuantis maris procellas, at qui in navi quantumvis ſollicitè ſe recondit, inconſtantes maris fluctuationes non effugiet, in hanc modò, modò in illam jactandus partem. Qui Deo adhæret, firmo quaſi littori, ac terræ affixus, non movebitur in æternum. At mundus mare eſt, omneſque creaturæ, quaſi aquæ fluidæ & inconſtantes, his ergo qui animum credit, & à littore divinæ firmitatis recedit instabilis ſemper eſt, & inquietus. *Diſc.* 47.

Item Deus extremis periculis ſe auxiliatorem reſervat. *Diſc.* 47.

*DOMINICA V. EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania. *Matth.* 13. *v.* 25.

*PROPOSITIO.*

*Eccleſia olim in concordia creſcens, per diſcordiam modò decreſcit.*

AGer Eccleſiæ, manu Chriſti plantatus, ejuſque ſanguine rigatus, uberem meſſem in primis tulit temporibus, erat enim credentium cor unum, & anima una. Sed poſt hæc venit inimicus humani generis, qui ſuperſeminavit zizania diſcordiarum, quibus non tantùm ſemen bonæ doctrinæ ſuffocatum, ſed meſſorum maximè concepta ſpes fuit imminuta, dum Eccleſia, & cum ea fidelium numerus, ſicut in concordia crevit, ita zizaniorum (diſcordiarum dico) dilatatione decrevit. *Vide Diſc.* 45.

Item, *Cùm dormirent homines*, id eſt Prælati, qui non paſcendo gregi, ſed ſibi ipſis attendunt. *Diſcurſ.* 11. *infrà Dom.* 2. *Paſchæ*,

*DOMINICA VI EPIPHANIÆ.*

## Thema.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. *Matth.* 13. *v.* 31.

*PROPOSITIO.*

*Contritio pœnitentis animæ, qualis eſſe debeat, & quantæ ſit efficaciæ.*

GRanum ſinapis *quantò plus teritur, tantò plus redolet*, uti Gloſſa Interlinearis notat: Præterea granum hoc licet parvum, tamen tantæ eſt efficaciæ, & virtutis, ut forti ſuo odore, & acrimonia ex oculis aquam eliciat. Per granum ſinapis Gloſſa ordinaria *fervorem fidei*, moralis *humilitatem*, Hugo verò intelligit *charitatem*, *quæ calefacit*, *venenum peccati expellit*, *purgat caput*. Quod maximè de charitate, actui contritionis juncta, intellectum velim, quæ quaſi granum ſinapis contritum, lacrymas elicit, purgat caput, ac venenum peccati expellit; de magna ergo grani hujus ſcilicet contritionis, efficacia, in præſenti. *Vide Diſc.* 24.

Gloſſa interlin. Hugo hic.

Item mala ſocietas eſt fermentum, totam maſſam corrumpens. *Diſc.* 37. *infrà in Dom.* 13. *Pent.*

*DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.*

## Thema.

Quid hìc ſtatis tota die otioſi? *Matth.* 20. *v.* 6.

PRO-

PROPOSITIO.

*Luget Eccleſia, quòd tam pauci per viam virtutis ad perfectionem tendant.*

IN foro otioſos cœleſtis Paterſamilias increpat; *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* nempe, *quia à principio mundi, uſque tunc laborare in bonis moribus neglexerant, quaſi tota die otioſi ſtabant,* ait Lyranus. Excuſare ſe tamen poterant in Veteri Teſtamento, *quia nemo nos conduxit*, & viam perfectionis Evangelicæ nobis monſtravit. In Novo autem Teſtamento excuſare ſe fideles non poſſunt quibus tritam Evangelicæ perfectionis viam ipſe Dei Filius aperuit, & eos conduxit. Plangit autem non immeritò Mater Eccleſia, quòd etiamnum multi ſtent in foro otioſi, in bonis moribus & ſanctitate laborare negligentes, adeoque deplorat, quòd quidem *multi ſunt vocati ad gratiam & ad obſervationem mandatorum*, juxta expoſitionem Cornelij, *ſed pauci electi ad gratiam eximiam, & obſervationem Conſiliorum Evangelicorum*, cùm pauci admodum ſint, qui per viam virtutis ad ſanctitatem & perfectionem acquirendam ſe applicent. *Vide Diſc. 7.*

Lyranus hic.

Cornelius hic.

Item, Vinea Domini, hodie quaſi horridum deſertum. *Diſc. 43 Vide ſupra Dom. 4. Adv.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

## Thema.

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. *Luc. 8. v. 5.*

PROPOSITIO.

*Ex mala paſtorum vita, non eſt reÿcienda eorum doctrina.*

PArabolam ſeminantis punctatim explicat Chriſtus. Notat vero Haymon: *Tamen quis eſſet ſeminator non expreſſit, quia non quis dicat, ſed quid dicatur, attendendum eſt.* Huc etiam facit illud Auguſtini: *Si pro diverſitate meritorum baptiſma ſanctum eſt, quia diverſa ſunt merita, diverſa ſuerunt baptiſmata: & tantò quiſque melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepiſſe.* Ex quo colligitur nec Sacramenti valorem, nec verbi Dei, & doctrinæ veritatem, à vita paſtorum dependere, & conſequenter ob malam horum vitam, non eſſe eorum doctrinam, ac poteſtatem reiiciendam. *Vide Diſc. 25.*

Haymon.

S. Auguſt. tr. 6. in Io.

Item deplorandum, quòd tam multis regionibus ſemen verbi Dei, & panis Euchariſticus fuerit ſubtractus *Diſc. 21. infrà Dom. infrà Octav. Corporis Chriſti.*

DOMINICA QVINQVAGES.

## Thema.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. *Luc. 18. v. 35.*

PROPOSITIO.

*Deploranda cæcitas & nox animæ peccatricis.*

CÆcus propriè dicitur aptus videre, nec tamen videns, unde lapis non dicitur cæcus, quia non eſt privatio niſi ſubjecto apto. Cæcus ſedens juxta Iericho, & mendicans, eſt (teſte Hugone) *peccator quilibet, veræ cognitionis lumine carens*, quod tamen aptus eſſet habere; & ſic ſedet, *terrenis amore inhærens*, quo ſcilicet (tanquam alter Tobias ſtercore hirundinum) excæcatus eſt, nec lumen cœli videre poteſt, ſuaſque proprias miſerias agnoſcere. Quam ergo deploranda hæc ſit animæ cæcitas & nox, in præſenti *Vide Diſc. 4.*

Item, horrendæ tenebræ, nox & cæcitas hæreſum, quas ſummè deplorat Eccleſia. *Diſ. 3. infrà Feria 2. Pentecoſt.*

DOMINICA I. QVADRAGES.

## Thema.

Mitte te deorſum. *Mat. 4. v. 6.*

*PROPOSITIO.*

***Anima peccatrix rarò in primo peccato ſiſtit, ſed cadere incipiens, de peccato in peccatum præcipitatur.***

HOrret quiſque ſubitum per præcipitia caſum, ipſiuſque præcipitij horror cautum reddit. Si peccatori præcipitem in malorum abyſſos caſum hoſtis malignus proponeret, horrere utiq; incipiens, à caſu caveret; ut ergo doloſus ſerpens ad interitum citiùs eum trahat, leviores tantum lapſus perſuadet ad vitia: *Mitte te deorſum.* Quaſi non ſuæ foret intentionis in profundum vitiorum illum præcipitare. At ubi ſemel à juſtitiæ via homo declinans labitur in peccatum natura in malum proclivis, in primo non ſiſtit peccato ſed de peccato in peccatum labitur, donec in profundum præcipitetur. *Vide Diſcurſ 6.*

Item cor peccatoris horridum deſertum. *Diſc.44 ſuprà Dom.3. Adv.*

*DOMINICA II. QVADRAGES.*

## Thema.

Domine, bonum eſt, nos hîc eſſe; ſi vis faciamus hîc tria tabernacula. *Matth. 17. v.4.*

*PROPOSITIO.*

***Animæ peccatrici, non datur ſabbatum, quies, aut ſeſſio in hoc mundo.***

TRansfigurati Salvatoris ſpeciem glorioſam in monte Thabor contemplatus Petrus ſeſſionem ibidem, ac ſedem figere parabat; *Domine, bonum eſt, nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula.* Sed præceps, & immaturum erat hoc Petri deſiderium: *non enim ſciebat, quid diceret*, uti S. Marcus teſtatur. Nam ſedere, & quieſcere jam volebat cum Chriſto transfigurato, quem laborando & patiendo in montem Calvariæ ſequi debebat; ad laborem enim, non ad quietem natus eſt homo, cui in hoc mundo, ſabbatum, quies, aut ſeſſio non conceditur. *Diſc. 14.*

Item, animæ, quamdiu cum Chriſto eſt, bonum eſt illi, ſine Chriſto autem, eſt quaſi ſola & deſolata vidua. *Diſc.2. ſuprà Dom. 2. Epiph.*

Item, quæ motiva hominem Chriſtianum ad aſcendendum montem Thabor, Religioſæ vitæ movere debeant? *Diſc.5. infrà in Dom. 4. Pent.*

*DOMINICA III QVADRAG.*

## Thema.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc. 11. v. 14.*

*PROPOSITIO.*

***Pœnitentia & Confeſſio Sacramentalis frequentata, roborat animam, & debilitat inimicos, paſſiones, conſuetudines malas &c.***

DÆmonium mutum ejecit Chriſtus, non quòd ipſum formaliter, ſed efficienter mutum eſſet: ſic Gloſſa Interlinearis ait: mutum, id eſt *mutos faciens.* Myſticè (Hugone teſte.) *Dæmonium eſt peccatum, primò à dæmone inventum: mutum, id eſt, faciens mutum à confeſſione fidei, & peccati. Hoc dæmonium ejicit Ieſus, & ora tacentia ad confeſſionem relaxat.* Quomodo autem hæc confeſſio (præſertim ſi frequens ſit) animam roboret, & inimicos, malaſque conſuetudines & paſſiones debilitet, in præſenti. *Vide Diſc.48.*

Gloſſa interlin. Hugo Card. hic.

Item, *omne regnum diviſum.* Eccleſia per concordiam ædificata per diſcordiam deſtruitur. *Diſc.45. Domin.5. Epiph.*

*DOMINICA IV. QVADRAGES.*

## Thema.

Jeſus ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**fugit iterum in montem ipſe ſolus.** *Ioan. 6. v. 15.*

PROPOSITIO.

*Plangit Eccleſia, ſe tumultuoſis per ambitionem excitatis tempeſtatibus turbari, & periclitari.*

PAtrato in panum multiplicatione miraculo ad montem ſolus confugit Chriſtus, ne à turba raptus, Rex ab ijs proclamaretur. Fugit itaque Chriſtus, & ad exemplum noſtrum fugit *erudiens* Apud Hugonem hic. *nos* (inquit S. Chryſoſt.) *mundanas contemnere dignitates*, & omnem ambitionis tumultum fugere, quo modernis temporibus Eccleſia tam periculoſè jactatur, ac tanquam ſæva tempeſtate turbatur. *Diſc 29. Vide inf. Fer. 3 Pent.*

Item, *Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum* &c. Feſta, & Sabbata Chriſtianorum hoſtibus fiunt contemptibilia, quia ut plurimum otio, & petulantia inſumuntur. *Diſc. 13. Infrà in Dom. 16. Pentec.*

DOMINICA V. QVADRAGES.

## Thema.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. *Ioan. c. 8. v. 59.*

PROPOSITIO.

*Prædicatores veritatem annuntiantes mundus perſequitur.*

MEdicum ſanæ mentis æger honorat, & præſcripta reveretur media, ſed phræneticus in ipſum inſurgit medicum, illi intentans mortem, à quo accipit vitam. Venit cœleſtis medicus ſanare infirmitates noſtras, verbo ac doctrina ſua, de qua Sapiens: *Ete-* Sap. c. 16. v. 12. *nim neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* Quod & Pſaltes regius in- Pſal. 106. v. 20. ſinuat: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.* At Principes Sacerdotum tanquam multa febre phrænetici, in ipſum medicum inſurgendo, *tulerunt lapides, ut iacerent in eum.* Et hac phræneſi totus pene modernus, & in maligno poſitus laborat mundus, qui Prædicatores, omneſque veritatem ſibi annuntiantes ſæviſſimè perſequitur. *Diſc. 39.*

Item, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Chriſtiani jam non ampliùs erubeſcunt de ſordibus peccatorum. *Diſc. 7. infrà Dom. 4 Paſchæ.*

DOMINICA PALMARVM.

## Thema.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua. *Matth. 21. v. 8.*

PROPOSITIO.

*Ingemiſcens cum Chriſto, & flens Eccleſia timet, ne flagellis à Deo immiſſis non emendata, adhuc gravioribus opprimatur, de quibus non poſſit ſurgere.*

TRiumphali hodie pompa ſanctam civitatem Chriſtus ingreditur, veſtimenta populo, ip[illegible] ſubſternente, & Oſanna Filio David &c. acclamante. Addit tamen S. Lucas Evange[illegible]a: *Vt* Luc. 19. *appropinquavit civitati, flevit ſuper* v. 41. *illam,* futurum urbis exterminium deplorans, quæ non cognov[illegible]t tempus viſitationis ſuæ, nec ordinariis emendata flagellis, tam crudeli manui fuit tradita, de qua ſurgere protinus non potuit. Idem moderno tempore cum Chriſto deplorare videtur S. Mater Eccleſia, cuius fideles & benefaciendo, & puniendo à Deo viſitati, nec tamen emendati, tam ſæva & gravia timere debent vindicantis juſtitiæ divinæ imminentia flagella, & mala, de quibus ſurgere ampliùs non poſſint. *Vide Diſc. 27.*

Item de fuga ambitionis. *Diſc. 29. ſuprà Dom 4 Quad.*

DOMINICA PASCHÆ.

## Thema.

Hæc dies, quam fecit Dominus,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nus, exultemus & lætemur in ea. *Pſal. 117. v. 24.*

*PROPOSITIO.*

*Quantum gaudium animæ beatæ de ſuperatis periculis habebunt?*

QUò gravius fuit certamen cum hoſtibus, eò glorioſior victoria, & lætior eſt triumphus; grave & cruentum cum humani generis hoſte, & morte certamen habuit Dei Filius, ſed eò glorioſior eſt triumphus, hodie in glorioſa ejuſdem Reſurrectione adornatus qui & mortis & inferni periculis finem impoſuit. Ubi eſt mors victoria tua? ubi morſus tuus inferne? jucunda non minùs dies illa erit animabus beatis, quæ ſuperatis mortis & inferni periculis, & è periculis hujus mundi & peccatorum tenebris ereptæ, diem claritatis æternæ attigerunt, ubi in ſecuritate poſitæ tantò plus de portu feliciter adepto cum Chriſto exultant, quantò magis feri maris, è quo evaſerunt, pericula contemplantur. *Vide Diſc 31.*

*FERIA II PASCHÆ.*

## Thema.

Qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone. *Luc. 24. v. 19.*

*PROPOSITIO.*

*Parvuli, id eſt, ſubditi, magnatum maximè, & præpoſitorum ſcandalis in ruinam trahuntur.*

BEnedictionem primogenituræ acceptturus Iacob, ex inſtinctu matris hœdinis pellibus contexit manus, quas
Geneſ. 27. v. 22. contingens cæcutiens Pater: *Vox quidem, ait, vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Per manus opera, per vocem ſignificatur doctrina quæ invicem correſpondere ſibi debent, ita ut præpoſiti quique potentes ſint in opere & ſermone. Sed plangit Eccleſia, Magnates, Doctores, ac Magnificos ſuos, licet ſubinde potentes in ſermone, & vocem Iacob repræſentantes non tamen eſſe potentes in opere, ſed manus ita habere piloſas, ac inſtar hircorum fœtidas, ut manibus hiſce piloſis, ac ſcandaloſis operibus, parvulos ac ſubditos in ruinam trahant. *Diſc. 9.*

Item, *Oculi eorum tenebantur. Cæcitas animæ. Diſc. 4. ſuprà Dom. Quinquageſimæ.*

*FERIA III. PASCHÆ.*

## Thema.

Et dicit eis, Pax vobis. *Luc. 24. v. 36.*

*PROPOSITIO.*

*Eccleſia per concordiam ædificata, per diſcordiam deſtruitur.* ſuprà Dom. 5. Epiph. ex Diſc. 45.

*DOMINICA IN ALBIS.*

## Thema.

Oſtendit eis manus, & latus. *Ioan. 20. v. 20.*

*PROPOSITIO.*

*Chriſtus fons aquæ vivæ ad nos lavandos & ſanandos, quo tamen neglecto recurrimus ad ciſternas mundi diſſipatas.*

SOlent hortorum delicias non tam exornare, quàm recreare vivæ ac ſalientes fontium aquæ. Floridiſſimo Eccleſiæ horto, ſe fontem præbuit dulciſſimus Salvator, & ficut olim in cruce confixus, è manibus, pedibuſque quatuor quaſi paradyſi fontes ad irrigandum Eccleſiæ hortum, & inſuper ex aperto latere novum gratiæ flumen effudit, ita etiamnum ſervatis in glorioſo corpore vulnerum foraminibus, ex iis, tanquam, foraminibus petræ, gratiarum aquas uberrimè effundit, unde etiam hodie oſtendit manus & pedes ad ſanativas has gratiarum aquas nos invitans, ſed deplorandum, quòd fideles plerumque hoc vivo fonte relicto, ad diſſi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diſſipatas mundi ciſternas confugiant. *Diſc. 33.*

Item, Thomas in multa lapſus peccata, vide Cornelium. Peccator raró in primo peccato ſiſtit. *Diſc. 6. ſuprà Dom. 1. Quadrag.*

*DOMINICA II. PASCHÆ.*

## Thema.

Ego ſum Paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. *Ioan. 10. v. 11.*

*PROPOSITIO.*

*Paſtores tam ſæculares, quàm ſpirituales ſubinde parum ſuæ profeſſioni, & paſcendis ovibus, ſed tantùm paſcendis ſibiipſis attendunt.*

MAximè Paſtoris proprio & ſuaviſſimo titulo gaudet Chriſtus, hinc olim ut plurimum pingebatur, ut paſtor, humeris ſuis ovem bajulans, uti etiamnum videre eſt in picturis antiquiſſimis, quæ extant in Romanæ urbis Eccleſiis. Paſtorum porrò nomine omnes tam ſpirituales, quam ſæculares Rectores veniunt, unde & regem Agamemnonem Homerus, paſtorem populorum vocat. Intereſt autem plurimùm, ut non tantùm paſtor, ſed bonus Paſtor quis inveniatur, plures ſiquidem Eccleſia nutit paſtores, qui non ovium, ſed ſemetipſorum tantùm paſcendorum curam habent, non ovibus, ut boni paſtores, ſed proprio lucro, ut mercenarii, invigilantes. *Diſc. 11.*

Item, Ex mala paſtorum vita, non eſt reiicienda eorum doctrina. *Diſc. 25. ſuprà Dom. Sexageſima.*

*DOMINICA III. PASCHÆ.*

## Thema.

Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. *Ioan. 16. v. 21.*

*PROPOSITIO.*

*Magna mundi inſipientia, qui annuntiata ſibi mala non præcavens, accepta demum damna (ſerò cum Phrygibus ſapiens) deplorat.*

EX eo, quòd Salvator aſſerit: plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, ſubinfert Rupertus Abbas, quòd viciſſim mundi gaudium vertetur in triſtitiam & luctum, non tantùm in futuro, ſed etiam in hoc ſæculo per vindicantem divinæ juſtitiæ manum. Quare de imminentibus hiſce pœnis ac malis ſeriò per verbi divini præcones mundus, licet fruſtrà, præmonetur: ſiquidem ergo annuntiata ſibi mala præcavere renuat, demum damna immiſſa ſerò cum Phrygibus deplorabit. *Diſc. 40.* Item, anima pro viliſſima conſolationis refectione, pretioſa quæque largitur. *Diſc. 22. Dom 6. Pentecoſt.*

*DOMINICA IV. PASCHÆ.*

## Thema.

Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. *Ioan. 16. v. 8.*

*PROPOSITIO*

*Chriſtiani non ampliùs erubeſcunt de ſordibus peccatorum.*

MVſtelam ita puritatis amantem aiunt, ut inſequentium vi fugata ad locum lutoſum, fœtidámve cloacam, opprimi priùs eligat ac capi, quam fœdatis pedibus ac pelle, vitam fuga ſalvare. Hinc optimè muſtelæ, tanquam puritatis typo, inſcribitur: *Malo mori, quàm fœdari.* Cùm è contra ſues non in pura aqua, aut prato, ſed in luto maximè, & volutabro delectentur. Sues, Paganos optimè dixeris, qui in voluptatibus, & aliis vitiorum ſordibus, volutari non erubeſcunt. Muſtelas, Chriſtianos, corporis & animæ puritati ſtudioſos mori olim,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quàm fædari eligentes; ſed eò hodie Chriſtianorum ſtatus delapſus eſt, ut de ſordibus peccatorum non ampliùs erubeſcant. *Vide Diſc. 17.*

Item, Chriſtiani flagellis à Deo immiſſis non emendati, graviora timeant, de quibus non poſſint ſurgere. *Diſc. 27. ſuprà in Dom. Palmarum.*

*DOMINICA V. PASCHÆ. & Feria Rogationum.*

## Thema.

Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 16. v. 23.*

*PROPOSITIO.*

*Quare populus Chriſtianus petit, & non accipit, clamat, & non exauditur?*

MAgnas ſæpe promiſſiones, & quæ neſcio ſervitia, & beneficia offerunt homines ad modernum mundi fallacis genium facti ſed ſicut plumas, ita & hæc verba, & promiſſiones ventus portat, & aſportat. Magnas, ac ſerias promiſſiones orantibus Deus facit, *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Attamen docet experientia, quòd ſæpe petimus, multa à Deo oramus, & non accipimus, nec exaudimur: Quid ergo? an fortè ad fallacium hominum genium factus Deus, ut multa promittat, & parum præſtet? Abſit. Fidelis enim in promiſſionibus ſuis Deus: *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Quæ autem cauſæ & obſtacula ſint, quòd Deus in orationibus noſtris nos non exaudiat, in præſenti exponam. *Diſc. 35*

Item, in neceſſitate non ad mundum, aut dæmonem, ſed ad Deum nobis eſt recurrendum, qui juvare poteſt. *Diſc 36.*

*IN ASCENSIONE DOMINI.*

## Thema.

Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? *Act. 1. v. 11.*

*PROPOSITIO.*

*Animæ in hoc mundo non datur quieta ſtatio, aut ſeſſio.* ut ſuprà Dom. 2. Quadrag.

POſt exantlatos triginta trium annorum graviſſimos labores, ac ſuperatos ſæviſſimæ paſſionis ac mortis dolores, demum Chriſtus ad cœlum aſcendit, quietam ſeſſionem, & regni cœleſtis poſſeſſionem ad dexteram Patris accepturus. Aderat ſpectator glorioſæ hujus aſcenſionis puſillus credentium grex, fixis in cœlum oculis, ad eandem cum Dei Filio ſeſſionem, & ſtationem ſuſpirantes, quibus Angeli in albis veſtibus aſſiſtentes dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum.* Quaſi dicerent, non eſſe modò in hac vita faciendam ſtationem, nec firmæ manſionis, aut quietæ ſeſſionis locum eſſe, ſed laborandum, pugnandum, ſi ad Chriſti in cœlo ſeſſionem admitti velimus. *Vide Diſc. 14.*

Item, quantum gaudium habeant animæ beatæ ſuperatis mundi periculis? *Diſc. 52.*

*DOMINICA INFRA ASCENSIONEM.*

## Thema.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. *Joan. 15. v. 26.*

*PROPOSITIO.*

*Terrenis inhians, non poteſt gaudere conſolationibus cœleſtibus.* Vide Dom. 2. Epiph.

PAraclitus idem eſt, ac Conſolator; dicitur autem Conſolator Spiritus ſanctus, quia interna conſolatione influit in animam, eamque confortat. Hunc quidem Paraclitum cum cœleſti con-

conſolatione omnes expectamus, non tamen ad omnes venit, nec in omnes cœleſtem ſuam conſolationem effundit, quia ſcilicet eos non reperit vacuos terrenis deliciis & conſolationibus, quamdiu enim ab his evacuata non fuerit anima, cœleſtes conſolationes infundi nequeunt, quæ terrenis jungi ac miſceri ſe non patiuntur. *Diſc.12.*

N.B. *Eadem Concio applicabilis pro Feſto Pentecoſtes.*

*FERIA II. PENTECOSTES.*

## Thema.

Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Joan.3. v.10.*

*PROPOSITIO.*

*Deplorat Eccleſia horrendas hæreſum exortas tenebras.*

Vide ſupra Dom. Quinquageſ.

QVid homini acceptabilius, ac conſolabilius luce? Quid gravius & moleſtius tenebris? At perverſa hominum ingenia arguit æterna Veritas, qui *dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*, nempe *tenebras infidelitatis*, & hæreſum, uti Lyranus exponit; has tenebras exortas maximè deplorat, & abhorret Eccleſia *&c. Vide Diſc 3.*

Lyranus hic.

Beda.

Item, Vener: Beda (citatus à Gloſſa morali in hunc locum) ait; *Illi magis tenebras, quàm lucem diligunt, qui ſuos prædicatores bene docentes odiis, & detractionibus inſequuntur. Vide ſuprà Dom. 5. Quadrag. ex Diſc. 39.*

*FERIA III. PENTECOSTES.*

## Thema.

Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt, & latro: Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. *Joan.10.v.1.*

*PROPOSITIO.*

*Eccleſia per ambitioſum & tumultoſum ad dignitates aſcenſum per magnates turbatur, & pervertitur.*

Vide Dom 4. Quadr.

NOtat Hugo Cardinalis, quòd *duplex eſt ingreſſus in ovile Domini, ſive in Eccleſiam: Vnus eſt ovis, ut ſcilicet ſit de Eccleſia, alter eſt paſtoris, ad culmen prælationis & regiminis.* De hoc poſteriori ingreſſu maximè loquitur Chriſtus, dum ait: Qui non intrat per oſtium in ovile, ad dignitates, ſed aliunde aſcendit, ambitioſè ſe intrudens, vel uti Hugo ait, *aliunde, non propter Chriſtum, neque à Chriſto vocatus. Et quem non introduxit mea charitas, ſed propria cupiditas:* Ille fur eſt, & latro, quia ſua ambitione alienum honorem ſurripiens, periculoſiſſimè Eccleſiam, & ovile Dei perturbat, & mactat. *Diſc. 29. & ſuprà Dom. 4. Quadrag.*

Hugo hic.

Aliter Hugo. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium *ab officio paſcendi oves, contra illos, qui ſe, non oves paſcunt. Vide ſuprà Dom.2. Paſchæ ex Diſc. 11.*

*DOMINICA I. PENTECOSTES.*

## Thema.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. *Luc. 6.v.36.*

*PROPOSITIO.*

*Deus miſericors omnibus, quantumvis enormibus peccatoribus miſericordiam exhibere paratiſſimus eſt.*

AD miſericordiam etiam inimicis exhibendam, Patris cœleſtis exemplo movere nos conatur Dei Filius, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Eſt autem cœleſtis Pater (ſicut Hugo obſervat) *miſericors in expectando*, diſſimulans peccata hominum. *Item in recipiendo:* Cùm au-

Hugo Card hic. Sap. 11 v. 24.



tem

tem longè eſſet, vidit eum Pater ejus, & Luc. 15. v. 20. occurrens cecidit ſuper collum ejus. *Item in condonando.* Non habentibus Luc. 7. v. 42. illis unde redderent, donavit utriſque. Et planè miſericors, & benignus eſt, ait Hugo, *quia peccatores longanimiter expectat ad pœnitentiam, ut fiant filij eius, & revertentes clementer ſuſcipit ad veniam.* De hac ergo Dei miſericordia in præſenti. *Vide Diſc. 50.*

Item, alter alterius onera portare debet, & ſupportare infirmitates. *Diſc. 49. infrà Dom. 3. Pentec.*

*DOMINICA II. PENTECOSTES.*

## Thema.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. *Luc. 14. v. 16.*

*PROPOSITIO.*

***Deplorat Eccleſia multis parvulis tam panem SS. Euchariſtiæ, quàm verbi Dei fuiſſe ſubtractum.***

PEr cœnam hanc aliqui Verbi divini incarnationem, alij paratam fidelibus (per verbi Dei prædicationem) refectionem, ſanctus verò Cyrillus, & Gloſſa moralis ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum intelligunt, unde etiam hæc parabola infra Octavam ſanctiſſimi Corporis legitur ab Eccleſia, & huic Venerabili Sacramento adaptatur. Sed poſt hanc magnam & publicam inſtitutam à Chriſto cœnam, ad quam omnes mortales vocavit, tamen deplorandum eſt quòd tam multis parvulis, & ſimplicibus ex perverſa miniſtrorum infidelitate, Panis hic Euchariſticus, æquè, ac panis verbi Dei ſubtrahatur. *Diſc 21.*

Item, Homo quidam fecit cœnam magnam. Gloſſa Interl. *Verè beati qui comedunt, ſed dediti terrenis, vel curioſitati, vel voluptatibus huius mundi, non comedent. Vide Dom. 2. Epiph. & Dom. infrà Aſcenſionem ex Diſc. 12.*

*DOMINICA III. PENTECOSTES.*

## Thema.

Cùm in venerit eam, imponit humeris ſuis gaudens. *Luc. 15. v. 5.*

*PROPOSITIO.*

***Qualiter invicem portare, & ſupportare debeamus?***

PAſtor tam ſolicitè deperditam, ac reinuentam ovem humeris ſuis portans, eſt ipſe benigniſſimus Dei Filius, qui languores, & infirmitates noſtras portans, atque ſupportans, non tantùm inſigne miſericordiæ ſuę ſpecimen ovibus ſuis dedit, ſed etiam præclarum omnibus fidelibus ſuis ſe præbuit exemplum, qualiter quiſque proximum ſuum compatienter ſupportare, & alter alterius onera portare debeat. *Vide Diſc. 49.* Item, Quàm Deus ſit miſericors etiam erga maximos peccatores. *ſuprà Dom. 1 Pent. ex Diſc. 50.*

*DOMINICA IV. PENTECOSTES.*

## Thema.

Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. *Luc. 5. v. 11.*

*PROPOSITIO.*

***Motiva, quare inſignes quivis homines relictis omnibus, in voluntaria paupertate, ac Religionis auſteritate vivere eligant.***

VErum quidem eſt, quod Petrus *multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit*, ut confidenter dicere potuerit: *Reliquimus omnia*, id eſt, *voluntatem habendi* (juxta Gloſſæ Interl. expoſitionem) quæ voluntas habendi, vel non habendi in paupere æquè ac divite magna eſſe poteſt. Tamen ordinariè loquendo, major in illis voluntatis fervor enitet, & in iis qui nobili, ac copioſo loco nati ſponte omnibus relictis

Gregor. hom. 5. in Evang. Matth 19. v. 27.

in voluntaria paupertate, Religionis votis ſe aſtringunt, quod mundus inſipiens capere non poteſt, præſertim autem acatholici; quare in præſenti eas rationes exponam, quæ tales ad omnia relinquenda, & mundi pompis renunciandum movent, & movere debent. *Vide Diſc.5.*

Item, *per totam noctem laborantes.* in hoc mundo non datur quies, aut ſeſſio. *Diſc.14. ſuprà Dom.2. Quadrag.*

## DOMINICA V. PENTECOSTES.

### Thema.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. *Matth.5.v.22.*

*PROPOSITIO.*

***Graviter punit Deus etiam levia peccata, ut gravia eò magis horreamus.***

MVltum in juſtitia ſua confidebant Phariſæi, quam tamen non approbat Chriſtus, utpote quæ in declinandis peccatis tantùm gravibus & externis conſiſtebat; neque multùm de levioribus aut etiam gravibus internis angebantur. Contra hanc ergo Phariſæorum juſtitiam inſurgit æterna Veritas, & niſi juſtitia noſtra abundaverit plùs, quàm Phariſæorum & ſcribarum, non intraturos nos regnum cœlorum comminatur. Non enim Deus judicio ſuo ſubjicit tantùm actus conſummatos, & peccata gravia & mortalia, homicidij, adulterij, ſed etiam internos inordinatos animi motus, ac paſſiones, non ſufficienter ſuppreſſas, & peccata venialia eáque quandoque graviter punit, ut eò magis graviora horreamus *Vide Diſc.30.*

Item, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs quàm ſcribarum & Phariſæorum.* Parvuli, magnatum & principum ſcandalis in ruinam trahuntur. *Diſc 9. infrà Dom 17. Penteceſt.*

## DOMINICA VI. PENTECOSTES.

### Thema.

Cùm turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent, quod manducarent, ait: miſereor ſuper turbam. *Marci 8.v.1.*

*PROPOSITIO.*

***Anima peccatrix pro viliſſimo terrenæ conſolationis cibo, pretioſiſſima ſua largitur.***

TVrbæ ſe ſequenti miſeretur Chriſtus, eámque ſponte non tam corporalis alimenti quàm ſpiritualis conſolationis pane reficit, hunc qui eſurit, beatus eſt; ſed infelix ille, qui viliſſimos tantùm terrenæ conſolationis cibos eſurit, iiſque fruendis non tantùm vitiorum deſertum ingreditur, ſed etiam pretioſa quæque pro viliſſimo hoc cibo largitur. *Vide Diſc. 22.*

Item in ſumma neceſſitate ſubvenit Deus. *Diſc.47. ſuprà Dom. 2 Epiph.*

## DOMINICA VII. PENTECOST.

### Thema.

Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. *Matth.7.v.15.*

*PROPOSITIO*

***Deploranda falſitas amicorum, qui & proximo, & Eccleſiæ illudunt.***

LVpos ovina pelle contectos communiter hæreticos intelligunt Expoſitores, qui ſimulata pietate, & larvata manſuetudine, lupinam indolem, & malitiam contegunt Sed non minus per lupos iſtos, ovina pelle contectos, amicos falſos intelligi velim, qui verbis manſuetis, geſtibus per humanis, promiſſionibus charitativis, ſe oves candidiſſimas & ſinceriſſimas ſimulant, ſed intus, tanquam ſæviſſimi lupi, dentes in aliorum ruinam acuunt, & ficta amicitia & proximo & Eccleſiæ Dei illudunt. *Vide Diſc.41.*

Item, Magnates punctum honoris non in generoſis & virtuoſis, ſed vitioſis actibus, vanitatibus, & fallacijs ponunt. *Diſc. 31. Vide ſuprà Domin. 3. Epiph.*

*DOMINICA VIII. PENTECOST.*

## Thema.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16. v. 9.*

*PROPOSITIO.*

*Peccator amicos ſibi deligit mundi delitias, divitias, & honores, quos in morte ſibi graviſſimos ſentiet eſſe inimicos.*

PEr Mammonam, id eſt divitias amicos ſibi faciendos Chriſti pauperes, ac Sanctos ſuadet æterna Sapientia ut, cùm defeceritis, nempe *à præſenti vita* (uti Lyranus gloſſatur) recipiant vos in æterna tabernacula. Sed hos amicos parum curat anima peccatrix, & vanitatibus immerſa, quæ ſuam amicitiam cum delitijs, divitijs, & honoribus facit, ſed cùm incipiet deficere, & migrare à præſenti vita, tum primùm experietur, hos ſibi graviſſimos fore inimicos, à quibus anguſtetur. *Vide Diſc. 42.*

Lyranus hic.

Item, Tribulatio eſt ſchola. *Scio quid faciam* &c. *Diſc. 26. ſuprà Domin. 2. Adv.*

*DOMINICA IX. PENTECOSTES.*

## Thema.

Videns civitatem flevit ſuper illam. *Luc. 19. v. 41.*

*PROPOSITIO.*

*Ex quibus cauſis nobis flendum ſit, quæ quidem ſunt graviſſimæ.*

VAni parentes vanis filijs magiſtros conſtituunt vanitatis, qui eos & ſaltare, & cantare doceant. Se quoque Magiſtrum nobis præbuit Dei Filius, & erudiendis nobis de cœlo deſcendit: Non autem nos aut ſaltare, aut choreas agere, aut ſonare cytharam & organum, aut vanos cantare modulos, ſed flere docuit, ſuo exemplo: *videns civitatem flevit ſuper illam.* Diſcamus ergo à cœleſti hoc Magiſtro fletum, & imprimis, quibus ex cauſis, (quæ quidem graviſſimæ ſunt) nobis flendum ſit, inveſtigemus. *Diſc 34.*

Item, *coanguſtabunt te* &c. Delitiæ, divitiæ, honores, quos amicos habuimus in vita, tanquam inimici in morte circumdabunt nos. *Diſc. 42.*

*DOMINICA X. PENTECOSTES.*

## Thema.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam. *Luc. 18. v. 14.*

*PROPOSITIO.*

*Anima per peccatum fœdata, per pœnitentiam priſtinæ reſtituitur pulchritudini.*

UTi nihil pulchrius anima, gratia ſanctificante, veſtita & ornata, ita nihil fœdius anima peccatis immortua, & gratiæ ornamento privata. Magnum autem hac in parte animæ peccatrici contulit beneficium, dum remedium illi contulit pœnitentiæ, qua anima (peccatorum prius fœtore fœdata) juſtificatur, & per gratiam ſanctificantem, & habitualem priſtinæ rurſus reſtituitur pulchritudini. *Diſc 38.*

Item, Contritio quantæ ſit efficaciæ, & quomodo elicienda. *Diſc. 24.*

*DOMINICA XI. PENTECOSTES.*

## Thema.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus. *Marci 7. v. 33.*

*PROPOSITIO.*

*Anima in iuventute in captivitatem à vitijs redacta, vix, & non niſi*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*niſi potenti Dei manu liberari poteſt.*

MIrum, quòd Chriſtus, cœleſtis ille Protomedicus, qui non ſolùm cæcos & claudos, ægros ac paralyticos uno verbo ſanavit, ſed etiam mortuos ſuſcitavit, tantam violentiam in ſurdo & muto hoc homine adhibeat; digitos mittendo in auriculas, expuendo, ſputo linguam tangendo, in cœlum ſuſpiciendo, ingemiſcendo, & clamando Ephphetha, quod eſt, adaperire? Nempe ſurdus & mutus iſte peccatricem animam in malo in veteratam ſignificat, quæ à vitijs à juventute in captivitate redacta vix & non niſi magna violentia, & potenti Dei manu liberari poteſt.

Item, Pœnitentia & converſio dilata, ſemper eſt difficilior. *Diſ.* 28 *Vide infrà Dom.* 23. *Pentecoſt.*

*DOMINICA XII. PENTECOST.*

## Thema.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt. *Luc.* 10. *v.* 33.

*PROPOSITIO.*

*Jacet Eccleſia vulnerata, ſed tamen tranſeunt omnes ſtatus, nec eſt, qui munus Samaritani obire velit.*

PErſonam miſerè à latronibus vulneratam, ac ſpoliatam, plerumque intelligunt humanam naturam per peccatum originale miſerè læſam, ac juſtitia originali ſpoliatam, cui nemo miſeratus eſt, donec cœleſtis Samaritanus infuſo vulneribus, non tantùm vino & oleo, proprio ſanguine eam curandam ſuſcepit. Sed & per eandem vulneratam perſonam, Eccleſiam Dei & à Paganis, & ab hæreticis ſævè nimis ſpoliatam ac vulneratam intelligere mihi liceat, cui tamen nemo Samaritani officium exhibere ſuſtinet, ſed tranſeunt & Sacerdotes & Levitæ, Magnates ſæculares & Eccleſiaſtiaci, nec afflictam conſolari, aut juvare curant. *Vide Diſc.* 23.

Item, Quibus bonis anima per peccatum ſpolietur? *Diſc.* 20. *infrà Dom.* 21. *Pentec.*

*DOMINICA XIII. PENTECOST.*

## Thema.

Occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè. *Luc.* 17. *v.* 12.

*PROPOSITIO.*

*Quàm periculoſa ſit ſocietas malorum, maximè hæreticorum.*

LEpra peccatum, maximè autem hæreſim denotat: ſteterunt autem decem leproſi à longè, *tum propter Chriſti reverentiam* (teſte Lyrano) *tum quia non debebant appropinquare ſanis hominibus, ne eos inficerent;* Nihil enim ſanæ menti ita periculoſum, ac ſocietas malorum, maximè autem hæreticorum, qui ſanie ſua facilè ſibi appropinquantes inficiant. *Vide Diſc.* 37. Lyranus hic.

Item, *mundati ſunt*. Anima per pœnitentiam, priſtinam recuperat pulchritudinem. *Diſc.* 38. *ſuprà Domin.* 10. *Pentec.*

*DOMINICA XIV. PENTECOST.*

## Thema.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. *Matth.* 6. *v.* 24.

*PROPOSITIO.*

*Deplorat Eccleſia fideles ſuos, in bono inſtabiles, à primævo, ſerviendi Deo, fervore receſſiſſe.*

TOto corde Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ adhærebant Deo, in quibus ne Mammona partem haberet, haud gravanter omnes divitias, tanquam lutum calcabant, & relinquebant: ſed modò Chriſtiani ita Deo ſervire cupientes, ne tamen Mammonæ renuntiare debeant, divitijs ſcilicet, imò & deli-

cijs,

tijs, & vanitatibus, fluctuant quaſi, & inſtabiles ſunt in bono, & ſic à primo fervore primitivæ Eccleſiæ multùm receſſerunt. *Diſc. 15.*

Item, Mammonam, id eſt, pecuniam, divitias, Deum ſuum conſtituunt mortales, in quo in neceſſitate ſua confidunt, ſed in morte ſe deceptos ſentient. *Diſc. 42.*

*DOMINICA XV. PENTECOST.*

## Thema.

Defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. *Luc. 7. v. 12.*

*PROPOSITIO.*

*Fuit miſericordiæ, quòd Deus hominem fecit mortalem.*

SVmmum vindictæ divinæ genus æſtimant homines, quòd Deus ſe fecerit mortales & celerandæ mortis neceſſitate obnoxios; ſed ſuppoſito jam ſtatu lapſo, & iuſtitiæ originalis privatione ſi vitæ noſtræ miſerias proximiùs inſpiciamus, divinæ fuiſſe miſericordiæ intelligemus, quòd Deus hominem fecit mortalem. *Diſc. 32*

Item, *Noli flere.* Ex quibus cauſis flendum ſit? *Diſc. 34 ſuprà Dom. 9. Pentecoſt.*

*DOMINICA XVI. PENTECOST.*

## Thema.

Si licet Sabbatho curare? *Luc. 14. v. 3.*

*PROPOSITIO.*

*Sabbatha & Feſta Chriſtianorum hoſtibus ſunt contemptibilia, eò quòd Chriſtiani in ijs otio, luſibus, & petulantijs vacent.*

UTi pueriles magis, quàm zeloſi, aut ſcrupuloſi in obſervatione Sabbathi fuerunt Iudæi, ita diſſoluti nimis, & laxi in celebrandis Feſtis & Sabbathis ſunt moderni Chriſtiani, & hoc non tam in operibus ſervilibus, quàm etiam in operibus malis, & laſcivis, quibus dum quàm maximè in diebus Feſtivis, & Sabbathis vacant, deridere incipiunt infideles Feſta & Sabbatha noſtra. *Diſc. 13.*

Item, *Cùm invitatus fueris, non diſcumbas in primo loco.* De ambitione, quàm ea ſit tumultuoſa & periculoſa. *Diſc. 29. ſuprà Dom. 4. Quadrag. & Feria 3. Pentec.*

*DOMINICA XVII. PENTECOST.*

## Thema.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, & interrogavit eum unus, tentans eum. *Matth. 22. v. 35.*

*PROPOSITIO.*

*Plangit Eccleſia parvulos, maximè magnatum ac præpoſitorum ſcandalis, in ruinam trahi.*

PHariſæi, Scribæ, ac Principes populi non tam verbis, quàm exemplis populum ad Dei, verique Meſſiæ agnitionem trahere debebant, ſed hi maximè à Chriſto populum avertere, tentando, & doloſè interrogando, ſiniſtrè loquendo, & traducendo conabantur, & ſic verbo & exemplo ad ruinam parvulos trahebant; quod hodiéque de magnatibus ac præpoſitis ſuis deplorat Eccleſia, qui verbis & ſcandaloſis exemplis ad interitum parvulos trahunt, quibus ad Dei agnitionem, & vitæ puritatem, duces eſſe deberent. *Vide Diſc. 9.* Gloſſa interlin.

Item, *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? &c.* Viam perfectionis hic legis Doctor inquirit, tentans eum, quæ tentatio (juxta gloſſæ expoſitionem) *non eſt mala, ſed cauta volentis amplius experiri ignotum.* Adeòque perfectionis avidum ſe monſtravit, cùm hodie deploret Eccleſia, paucos per viam perfectionis incedere, aut eam inquirere. *Diſc. 7. ſuprà Dom. Septuag.*

DOMI-

DOMINICA XVIII. PENTEC.

## Thema.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2.*

PROPOSITIO.

*Pœnitentia avertit pœnas temporales.*

MIrabantur hanc in curando Paralytico methodum Iudæi, dum Chriſtus priùs de dimiſſis peccatis aſſecuratum, deinde ſurgere, & tollere lectum jubet. Sed aptiſſimus iſte fuit curandi modus, ait Gloſſa, nam *priùs dimittit peccata, cauſam morbi, poſt curat corpus.* Quoniam enim, ex mente Lyrani, *infirmitas hæc fuerit inflicta paralytico propter peccatum illius*, non niſi contrito & poſt dimiſſum peccatũ, pœna infirmitatis auferri poterat: nam ſicut peccatum pœnas temporales attrahit, ita eas contritio, & pœnitentia avertit. *Diſc. 51.*

Gloſſ. Ordin.

Lyranus. Vide Cornelium hîc.

Item, *Offerebant ei paralyticum* &c. In neceſſitatibus, non ad mundum, aut dæmonem, ſed ad Deum, qui juvare poteſt, recurrendum eſt. *Diſc. 36.*

DOMINICA XIX. PENTEC.

## Thema.

Simile factum eſt regnum cœlorum Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. *Matth. 22. v. 2.*

PROPOSITIO.

*Eccleſia Chriſto deſponſata, & magno populorum concurſu fœcundata, nunc ſedet quaſi ſola, & vidua.*

NVptias cum humana natura celebravit Chriſtus in ſua Incarnatione: item, quotidie celebrat nuptias cum anima in converſione peccatorum, & denuò ſolemnes celebravit nuptias cum Eccleſia. De poſterioribus iſtis nuptijs aſſerit Hugo Cardinal. quòd *fuerunt initiata per Moyſis ſponſionem, ratificata per Angeli ſalutationem, & conſummata per Verbi Incarnationem.* Ad regales has nuptias cum muneribus accurrerunt Magi, primitiæ gentium, poſt quos magnus confluxit populorum ex toto orbe concurſus ad nuptias, & nuptiale convivium implendum. *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerũt tibi.* Sed modò ſponſa Eccleſia, olim plena populo, ſedet quaſi ſola, & quaſi vidua. *Vide Diſc. 1.*

Hug. Cardinal. in Ioan. c. 2. v. 1.

Iſa. 49. v. 18.

Item, *Vidit ibi hominem, non veſtitum veſte nuptiali* &c. *mittite in tenebras* &c. Deus etiam peccata, quæ nobis levia parent, graviter punit. *Diſc. 30. ſuprà Dom. 5. Pent.*

DOMINICA XX. PENTECOST.

## Thema.

Incipiebat enim mori. *Joan. c. 4. v. 47.*

PROPOSITIO.

*Amaritudo mortis per Chriſti paſſionem, & alia pia exercitia mitigatur & dulcoratur.*

MOrs omnium terribilium terribiliſſimum à Philoſopho proclamatur, éſtque omnium amaritudinum compendium, & quinta eſſentia, quam homo mori incipiens meritò horret. Quare operæ pretium eſt, ut quivis de tali ſibi provideat remedio temperativo, quo exceſſiva illa amaritudo dulcoretur, hoc autem eſt ipſa amara Chriſti mors & paſſio, quæ ſua amaritudine mortis noſtræ amaritudinem temperat, & eam dulcem nobis reddit, prout per pia exercitia in ſequenti demonſtrabo. *Vide Diſc. 46.*

Item, *Rogabat eum, ut deſcenderet & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori.* Pœnitentia dilata ſemper evadit difficilior. *Diſc. 28.*

DOMINICA XXI. PENTECOST.

## Thema.

Juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem, & filios, &

& omnia, quæ habebat. *Matth. c. 18. v. 25.*

*PROPOSITIO.*

*Quibus anima bonis per peccatum ſpolietur?*

SErvus nequam eſt, juxta expoſitionem Gloſſæ moralis, *quilibet peccator*, qui Deo debitor eſt decem millium talentorum *Debitum valde magnum*, (addit præfata Gloſſa) *quia tanta eſt offenſa, quantus eſt ille, qui offenditur.* In iſtum ergo juſto judicio animadvertit Deus, & uxorem, & filios illi auferendo. Per uxorem intelligit eadem Gloſſa delectationem pravam, per filios autem actus malos inde procedentes. Verùm S. Gregorius (de Sedeciæ Regis infeliciſſimi captivitate loquens) per filios præcedentia opera bona, & collectos meritorum theſauros intelligit quibus omnibus peccator unà cum aliis bonis poſſeſſis ſpoliatur. *Diſc. 20.*

Gloſſa Moralis.

Item *Miſertus autem Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit illi.* Quàm miſericors in peccatores ſit Deus. *Diſc. 50. ſuprà Dom. 1. Pent.*

*DOMINICA XXII. PENTEC.*

## Thema.

Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? *Matth. 22. v. 20.*

*PROPOSITIO.*

*Finis ultimus animæ rationalis eſt Deus, diligendus & fruendus, à quo fine ſi anima declinat, toto cœlo aberrat.*

NUmiſma cenſus exhiberi ſibi à fraudulentis Phariſæis petiit Chriſtus, imagine cæſaris inſignitũ. Moraliter (ait Doctor Seraphicus) *Nummus iſte eſt anima ad imaginem Dei facta.* Cui Deus imaginem ſuam impreſſit, ut ſciret anima & agnoſceret, quòd ipſe Deus, non tantùm ſit cauſa illius efficiens, & exemplaris, ſed etiam finalis, facta ſcilicet non tantùm à Deo, & ad imaginem Dei, ſed etiam ad diligendum & fruendum Deum, tanquam ultimum ſuum finem: Uti Auguſtinus exclamat: *Inquietum cor meum Deus, inquietum cor meum, donec veniam ad te, qui factus ſum ad te.* Iſte ergo eſt ultimus finis impreſſus animæ noſtræ, cujus recordari ſemper debemus, a quo ſi anima declinat, toto cœlo aberrat. *Vide Diſc 18.*

S. Bonav. ſe. 2 Dom 22 Pentec.

Item *Cognita Ieſus nequitia eorum*, id eſt, *doloſitate*, juxta Gloſſam interlinear. De amicorum falſitate. *Diſc 41. ſuprà Dom. 17.*

*DOMINICA XXIII. PENTEC.*

## Thema.

Domine, filia mea modò defuncta eſt. *Matth. 9. v. 18.*

*PROPOSITIO.*

*Anima pœnitentiam differens, eam ſemper reperit difficiliorem.*

S. Matthæus (uti Gloſſa, Cornelius, & alij obſervant) brevitati ſtudens, ac rei ſubſtantiam potiùs, quam hiſtoriæ ſeriem attingens, puellam jam defunctam ſcribit, quam tamen S. Marcus & Lucas nondum ſcripſere mortuam, cùm primùm nuncij in via eam defunctam retulerint. Sentit S. Chryſoſt. & Theophilactus, filiam à morte dictam fuiſſe mortuam, id eſt, morti proximam, ſolent enim miſeri ærumnas ſuas augere, ut facilius opem impetrent. Sed ut ut ſit ſaltem in hoc ſumma apparet patris in procuranda ſalute filiæ ſolicitudo, & accelerata cœleſtis medici vocatio. Puella defuncta eſt anima peccatrix, cui per pœnitentiam ſuſcitandæ omnis mora periculoſa, quo diutiùs enim pœnitentia differtur, eò difficilior redditur animæ peccatricis ſalus. *Vide Diſc 28.*

Vide Cornelii hic.

Item, *Cùm vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite.* Hugo *Turbam amicorum carnalium, vel turbam reproborum, item hære-*

*ſum*

ſum &c. Mala ſocietas nociva, & ejicienda. *Vide Diſc.37. & ſuprà Dom.13. Pentecoſt.*

Item, in domo moritur puella: domus eſt corpus, filia anima quam mors peccati necat. Sed quomodo ad eam mors intrat? Per domum: at ubi? Per feneſtras, & portas ſenſuum externorum. *Vide Diſc.8.*

### *DOMINICA XXIV. PENTEC.*

## Thema.

Cùm videritis abominationem deſolationis (quæ dicta à Daniele Propheta) ſtantem in loco ſancto. *Matth. 24. v. 15.*

### *PROPOSITIO.*

*Deplorandum, quòd nulla Eccleſiis habeatur reverentia, in quas immundæ gentes, id eſt, concupiſcentiæ, & carnales ſenſus ingrediuntur.*

MUltis & quidem graviſſimis ſceleribus oneratus erat Iudæorum populus, maximè fuſo innocente Chriſti ſanguine reus; hæc tamen omnia enormia licet crimina nondum iram Dei ad excidium urbis ac templi faciendum compleverunt, donec abominatio in loco ſancto templum irreverentur dehoneſtavit. Hanc abominationem, (quo templum fuit violatum) putant aliqui fuiſſe imaginem cæſaris à Pilato in templo collocatam, vel ſtatuam Adriani, alij idolum, alij peccata Sacerdotum in templo commiſſa, item profanationem per homicidia & ſcelera à ſeditioſis Iudæis perpetrata in templo *&c.* Quæ quaſi complementum fuerunt iræ divinæ ad templum, & urbem ſanctam penitus evertendam.

Nunquid in templis noſtris Chriſtianis hodiéque talia deſunt idola, imagines profanæ, & ſcelerum abominationes, quæ devaſtandæ Eccleſiæ nobis comminantur excidium? *Vide Diſc. 19.*

Item, Mundus flagellis non emendatus, gravioribus à Deo pœnis animadvertitur, de quibus non poſſit ſurgere. *Diſc. 27. ſuprà in Dom. Palmarum.*

# Exordia

## *Pro omnibus Feſtis per annum, ad quæ Diſcurſus de planctu Eccleſiæ & animæ applicari poſſunt.*

*IN FESTO S. ANDREÆ.*

### Thema.

Illi autem, ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. *Matth.4.v.20.*

*PROPOSITIO.*

*Ex quibus motivis Catholici noſtri plurimi, etiam potentes, relictis omnibus Chriſtum ſequantur in ſtatu* Religioſo?

AQuila ætate gravis, juventutem ſuam renovatura, verſus ſolis rotam volans, ſe accendit, ac poſtmodum in fonte ſe refrigerans, abjectis plumis vetuſtis renovatur, cui appoſitè hæc inſcribas verba: ABIECISSE IUVAT. Sic & Andreas Apoſtolus cum fratre antiquam abjecturus vitam, divino accenſus amore, relictis & abjectis omnibus terrenis, ſecutus eſt Chriſtum; non minus etiam hodie terrena omnia abjeciſſe juvat illos, qui ſpretis mundi divitijs & delitijs, religioſam & Apoſtolicam aggrediuntur vitam, ſtupente mundo & maximè Acatholicis; ex quibus motivis tales impellantur, & impelli debeant, in præſenti. *Diſc. 5.*

*S. NICOLAI EPISCOPI.*

### Thema.

Venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis. *Matth.25.v.19.*

*PROPOSITIO.*

*Præpoſiti tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares magis ſibipſis, quàm paſcendo gregi invigilant.*

APis ſolicito labore, collecto ex floribus rore, ac ſucco mel conficit, non ad ſe ſolùm paſcendam, ſed ut in communem illud uſum, & utilitatem conferat: hinc de illa: VT PROSIM. Apes argumentoſæ, ſunt primates quique tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, qui in colligendo melle nullam non habent induſtriam, & ſolicitudinem, ſed ut ſemetipſos tantùm paſcant, qui tamen à Deo ad hoc conſtituti ſunt, *Vt proſint*, ſubditis ſuis, & iſtorum, non ſuæ attendant ſaluti, & utilitati. *Vide Diſc 11.*

*S. THOMÆ APOSTLOI.*

### Thema.

Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam. *Joan.20.v.25.*

*PROPOSITIO.*

*Peccator cadere incipiens, rarò in primo peccato ſiſtit.*

Pila in terram ſemel ubi fuerit projecta, NON CASV SISTITVR VNO, ſed licet à terra reſiliens, iteratum tamen toties repetit caſum, donec omnino cadendo quieſcat. Haud ſecus peccator, ſi ſemel maligni hoſtis impetu fuerit proſtratus, quaſi pila repetit caſum, nec in uno ſiſtitur lapſu: ſic Thomas in incredulitatem lapſus, hinc Vide Corneliū hic.

ecci-

cecidit in ſuperbiam, de ſuperbia in irreverentiam, de irreverentia in præſumptionem, de præſumptione in obſtinatam pertinaciam *&c.* Peccator enim *Non caſu ſiſtitur uno. Vide Diſc.6.*

*S. STEPHANI PROTOMART.*

## Thema.

Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. *Matth. 23.v.37.*

*PROPOSITIO.*

*Prædicatores veritatem annuntiantes mundus perſequitur.*

SAxorum impetuoſo tactus imbre S. Protomartyr Stephanus, primus Martyris coronam poſt glorioſam Chriſti paſſionem adeptus eſt, cui ſe duriſſima ſaxa exhibuerunt Iudæi, nam ſicut ſaxa PERCVSSA SCINTILLANT, ſic Iudæi Prophetarum ac poſtea Apoſtolorum exhortationibus tacti, ſcintillare, & excandeſcere viſi ſunt, occidendo prophetas, & lapidando eos, qui ad ipſos miſſi erant; obſtinata Iudæorum corda, etiam moderna imitatur Chriſtianorum turba, quæ veritatis ictibus *Percuſſa ſcintillat*, & in veritatis præcones perſecutionibus exardeſcit. *Vide Diſc.39.*

*S. IOANNIS EVANGELISTÆ.*

## Thema.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus. *Joan.21.v.20.*

*PROPOSITIO*

*Chriſtiani non ampliùs de ſordibus peccatorum erubeſcunt.*

AGnellus externo corporis, internum quaſi animi candorem ſocians, inſcriptionem meretur: INTVS & EXTRA. Agnellus intus & extra puritate candidiſſimus erat Dei Filius, qui ſimili gaudens, ſupra alios diſcipulos diligebat Ioannem, ſcilicet Virgo virginem, Agnus agnum puritatis ſuæ æmulum. Tales quoque agnos Chriſtus deſiderat eſſe omnes fideles eóſque Petro commendans ait: *Paſce agnos meos*, qui intus & extra puri, omnem horreant turpitudinis fœtorem; ſed prô dolor, videas hodie agnos & oves Chriſti, haud ſecus quàm porcos in peccatorum, ac turpitudinum ſordibus volutari, de quibus ne quidem ampliùs erubeſcunt. *Vide Diſc.17.*

*SS. INNOCENTIVM.*

## Thema.

Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, à bimatu, & infrà. *Matth.2.v.16.*

*PROPOSITIO.*

*Ambitio tumultuoſa omnia perturbat.*

QVadrupedia ex utero matris egreſſa non ſtatim tamen repunt, ne dicam ambulant, aut currunt. Aviculæ rupto ovo inducias requirunt pro volatu. At piſces VIX NATI NATANT, adeóque ipſis coëvum eſt, vivere, & natare. Piſces dixeris SS. Innocentulos martyres, qui vix nati, jam in proprio natabant ſanguine. Et quis cruentam hanc Natatoriam paravit Innocentulis, niſi tumultuoſa, & inquieta regnandi libido, & ambitio? nam perdendi regni metu, conturbatus Herodes, natum Regem ſceptro ſuo æmulum delere in incunabulis tentabat, hac ambitionis, & regnandi libidine, quaſi ſæva tempeſtate etiamnum Dei Eccleſia perturbatur. *Vide Diſc.29.*

*S. AGATHÆ VIRG. & MART.*

## Thema.

Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacunque ex cauſa. *Matth.19.v.3.*

*PROPOSITIO.*

*Anima à Deo ſeparata, eſt quaſi vidua.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HEdera ut ſemel firmam amplexa eſt plantam, inſeparabilis, etiam arida, inhæret, ut merito inſcribatur hederæ: NVNQVAM DIVELLAR, vel etiam, ET ARIDA TECVM. Hederam dixeris animam amantem, hederam virentem S. Agatham virginem, quæ inſeparabiliter Deo ſuo adhærens, cum Apoſtolo gloriari videbatur: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? neque mors, neque vita, neque gladius neque perſecutio. *Nunquam divellar*, etiam *Arida tecum*, nec ſeparari me patiar *quacunque ex cauſa*. Sic Deo ſuo, & ſponſo quævis adhæret anima Chriſtiana, ut tanquam hedera, nunquam divelli, aut ſeparari ſe patiatur, quid enim hac ſeparatione formidoloſius, dum anima à Deo ſeparata, licet aliarum creaturarum ſuffulta præſidio, in earum tamen multitudine, ſola erit, atque deſolata vidua. *Vide Diſc. 2.*

### *S. MATHIÆ APOSTOLI.*

## Thema.

Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. *Matth. 11. v. 29.*

### *PROPOSITIO.*

*Devitiæ, delitiæ, honores refectionem ſpondent animæ peccatrici, à quibus tamen in morte derelicta, eos ſibi experietur inimicos.*

SOlare horologium exorto ſole monſtrandis inſervit horis, & migrante ad occaſum ſole tota verſum in umbram, monſtrare deſinit, de quo appoſitè: OCCIDENTE DESINO. Invitat nos ad reficiendum divina bonitas. *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos.* Sed ſublevantis divinæ bonitatis conſolationem, & amicitiam recuſat peccator, ſub vanis potiùs devitiis, delitiis & honoribus umbram quærens, refectionem & amicitia, ſed quamdiu hæc durabunt? Quamdiu hac luce mortalis vitæ fruimur, nam *occidente deſinit*, & expirante vita, ac morte appropinquante omnis evaneſcit amica conſolatio, quæ in mortalem umbram, & formidandam vertetur inimicitiam.

### *S. GEORGII MARTYRIS.*

## Thema.

Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. *Joan. 15. v. 6.*

### *PROPOSITIO.*

*Magnates & nobiles punctum honoris, non in generoſis & virtuoſis, ſed vitioſis actibus & vanitatibus ponunt.*

VErmiculos de nocte ſubinde videmus lucidos, qui ita falſa ſua luce hominum oculis de longè affulgent, ut verum lumen, aut lampadem æſtiment, cùm autem propriùs res inſpicitur, contemptibilis ſolùm vermiculus eſſe depræhenditur, qui inane poſt terga jubar habet, de quo veriſſimè dicas: SPLENDORE ILLVDIT INANI. Fictum plerumque ſplendorem, & ementitum virtutis jubar vitia gerunt, ac mundi vanitates, in quo mundani quique nobiles, ac magnates ſuum ſplendorem, ac punctum honoris ponunt: ſed quid hæc ſunt, niſi lucidi vermiculi, imò ſubinde ignivomi dracones, quos cum ſancto & Chriſtiano equite Georgio proſternere, ac in vero virtutis lumine punctum veri honoris quærere deberent. *Vide Diſc. 31.*

### *S. MARCI EVANGELISTÆ.*

## Thema.

*In proceſſione ſolemni.*

Petite, & dabitur vobis. *Luc. 11. v. 9.*

### *PROPOSITIO.*

*In neceſſitatibus ille adeundus, qui*

juvare

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*juvare poteſt, nempe Deus, non mundus, non diabolus.*

DVlciter quidem ſonat fiſtula, etiam ſola, ſed longè dulcius ac ſuaviùs multæ fiſtulæ ſimul in uno conjunctæ ſonant organo, quippe CONIVNCTÆ SVAVIVS. Suavis quidem in auribus Divinæ majeſtatis eſt oratio, quam quis ſolus, in occulto, & clauſo ad Deum emittit oſtio, ſed ſuavior longè, & ad divinam clementiam movendam efficacior, ſi conjunctæ multorum ſupplices ad cælum intonent voces, *Coniuncta ſuavius*, & efficacius. Conjunctis igitur ad Deum recurramus vocibus, ac orationibus, hic eſt enim ille, qui juvare & vult, & poteſt: non autem diviſis & vijs, & animis recurrendum ad alios vanos auxiliatores, mundum ſcilicet, aut ipſum etiam ſubinde dæmonem, qui juvare non poteſt. *Vide Diſc 36.*

Item cauſæ, quare non exaudiantur orantes. *Diſc.38*

*SS. PHILIPPI ET IACOBI Apoſtoli.*

## Thema.

### Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. *Joan. 14. v. 8.*

*PROPOSITIO.*

***Pauci viam virtutis, & perfectionis ingrediuntur.***

S. Auguſt. tra. 26. in Ioan. PRæclarè notat S. Auguſtinus: *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam.* Sed ſi oſtenſo ramo ovi, trahitur, cur non oſtenſo & cognito Deo trahatur potiùs anima, ad quem innatam habet ſympathiam & inclinationem? Hinc tam ardenter à Magiſtro ſuo divino Philippus efflagitat: *Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis* Nam OSTENDERE SVFFICIT, & ovis ramum inſequitur oſtendere, & cognoſcere ſufficit Deum, & anima trahitur, ſed conqueritur meritò Chriſtus erga Chriſtianos quod poſt tantam Patri ſui oſtenſionem atque cognitionem, vix tamen reperiatur, qui illius ſequi perfectionem velit, & perfectus eſſe, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt, cùm pauci viam perfectionis ac ſanctitatis, moderno tempore, ingredi, atque aggredi ſuſtineant.

*INVENTIONIS SS. CRUCIS.*

## Thema.

### Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? *Joan. 3. v. 10.*

*PROPOSITIO.*

***Tribulatio & crux, eſt ſchola.***

EST homo in ſua pueritia quaſi tabula raſa, omni ſcientiæ decore privatus, habilis tamen ad omnes virtutum ac ſcientiarū ſpecies recipiendas quem in finem ſcholas erigere, & gymnaſia pernecesſarium fuit, in quibus tamen nec ſine labore nec ſine virga addiſcitur ſapientia: de virga enim bene Salomon: Prov. 19. v. 10.
TRIBVIT SAPIENTIAM. Erudiendis nobis publicam etiam Deus erexit Academiam, nempe ſcholam Tribulationis, in qua moderandis diſcipulis adhibet Deus virgam crucis. Hanc nec virgam, nec ſcholam abhorreamus, *Tribuit* enim *Sapientiam*, & in omnibus nos inſtruit artibus, & ſcientijs. *Vide Diſc 26.*

*S. IOANNIS BAPTISTÆ.*

## Thema.

### Quis putas puer iſte erit. *Luc. 1. v. 66.*

*PROPOSITIO.*

***Non poſſunt conſolationes cœleſtes ſtare cum terrenis, & carnalibus.***

FVit inter modernos militiæ duces, qui ſuæ imagini publicis typis datæ hanc inſcriberet teſſeram militarem: NON BENE CONVENIVNT ARS MILITARIS ET LVXVS. Supervenit

aït quidam, qui ſeriò jocaturus, paucis adjectis & mutatis literis, pro luxu, luxuriam poneret. Et non abſque fundamento. Non enim bene conveniunt Ars militaris & luxuria, licet plurimi eas ſimul jungere conentur. Deo militaturus in eremum ſeceſſit S. Ioannes, duris indutus camelorum pilis: *Non enim bene conveniunt ars militaris & luxus*, ſed multò minùs luxuria, aut quævis voluptuoſa mundi conſolatio ijs convenit, qui Deo militare ſtatuerunt, imò nec fieri poteſt, ut ars militaris Chriſtiana, atque cœleſtis gratiæ influxus & conſolatio, cum voluptuoſa conſolatione, aut ſtare, aut miſceri poſſit. *Vide Diſc. 12.*

*SS. PETRI ET PAVLI APOSTOLORUM.*

## Thema.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Matth. 16. v. 18.*

*PROPOSITIO.*

*Ex defectuoſa Paſtorum vita, non eſt eorum reijcienda doctrina.*

Congruè Fridericus Imperator pro ſuo geſſit ſymbolò librum cum gladio hac inſcriptione: HIC REGIT, ILLE TVRTVR. Gladius Eccleſiæ, ad faciendum vindictam in nationibus, fuit Paulus Apoſtolus; liber, ex quo Eccleſia ſolidam Chriſtianæ fidei doctrinam hauſit, fuit S. Petrus, ſed etiam in hoc libro aliquot contra bonos mores (ante Spiritus ſancti adventum) depræhenſi fuerunt errores, vanæ gloriæ, & trinæ negationis, per quam Eccleſiæ Petra fuerat concuſſa; hoc tamen non obſtante de Eccleſiæ & Paſtoratus principatu à Chriſto non fuit rejectus Petrus, non enim defectuoſa Paſtorum vita, ſanæ eorum præjudicat doctrinæ. *Vide Diſc. 25.*

*S. MARIÆ MAGDALENÆ.*

## Thema.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc. 7. v. 47.*

*PROPOSITIO.*

*Pœnitentia animæ peccatrici priſtinam reſtituit pulchritudinem.*

Tela cruda & obſcura, ſolaribus radijs expoſita, necdum tamen albeſcit, donec accedat affuſio aquæ, nec ſola ſufficit aqua, ſi ſolares deſint radij, tela quippe ALBESCIT VTROQVE. Tela cruda, & peccatorum maculis obſcura, erat Magdalena, ſed reſpiciente eam Chriſto oculis ſuæ miſericordiæ, & decurrente ex ejus oculis pœnitentiæ flumine, & lacrymarum imbre, ejus anima *Albeſcit utroque*, & taliter albeſcit, ut multorum primorum ſanctorum nitorem, ac pulchritudinem excedat, ut noverit mundus pœnitentiæ effectum, quæ priſtinam animæ reſtituit pulchritudinem. *Diſc. 38.*
Item, de effectu contritionis. *Diſc 24.*

*S. IACOBI APOSTOLI.*

## Thema.

Dic, ut ſedeant hi duo filij mei. *Matth. 20. v. 21.*

*PROPOSITIO.*

*Non datur ſeſſio, & quies in hoc mundo.*

Bovi durum cervice jugum portanti inſcripſit celeberrimus Areſius, NASCITVR AD LABOREM; ſed quod de bove Areſius, hoc etiam de homine ſcribit patiens Propheta *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* Iob. 5. v. 7. Malè ergo vitam omni labore expertem pro filijs rogat mater, *Dic ut ſedeant, hi duo filij mei.* Cùm enim homo ad laborem natus ſit, non in hac vita requies, aut ſeſſio datur. *Vide Diſc. 14.*

S. LAV-

*S. LAVRENTII MARTYRIS.*

## Thema.

Igne me examinaſti, & non
eſt inventa in me iniquitas. *Pſal.
16.v.3.*

*PROPOSITIO.*

***Fideles in bono inſtabiles, à primævæ
Eccleſiæ fervore multum receſſe-
runt.***

CAndela accenſa ſimul atque arden-
tibus ſolis radiis expoſita, hanc ſibi
inſcriptionem vendicat: GEMINO
CONSVMOR AB IGNE. Examina-
tus, & uſtus fuit igne S. Martyr Lau-
rentius, & gemino quidem exteriùs ſci-
licet tormento flammæ ſæviſſimo, in-
terius autem igne divini amoris, & ſic
*gemino fuit uſtus ab igne*; licet Magno
Leone teſte, *ſegnior fuit ignis, qui foris* (S. Leo ſermon de S. Laurentio.)
*uſſit, quàm qui intus accendit.* Flagra-
bat enim tunc in primitivæ Eccleſiæ
membris ardentiſſimè inter perſecutio-
num flammas, intenſus charitatis ig-
nis, ac fervor, à quo moderni fideles re-
ceſſerunt; ideoque in fide, ac virtute
ſunt inſtabiles *Vide Diſc.15.*

Item, *Mea nox obſcurum non habet.*
De nocte hæreſum *Diſc.3.*

Item, Deus in extremis caſibus &
neceſſitatibus aſſiſtit *Diſc.47.*

*S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.*

## Thema.

Pellem pro pelle, & cuncta
quæ habet homo, dabit pro ani-
ma ſua. *Iob.2.v.4.*

*PROPOSITIO.*

***Anima quæ à juventute pellem ma-
læ conſuetudinis induit, vix libe-
rari poteſt ampliùs.***

SErpens pellem ſuam renovaturus, eam
penitùs abſtrahere & quaſi excorian-
do ſe renovari debet. Hinc bene de eo
dicitur: EXCORIANDO REVE-
STIOR S. Bartholomæo Apoſtolo
*P. Franc. Ioſephi. Op. IV.*
non ſufficiebat bona ſua relinquere, &
abjectis etiam veſtibus nudum ſequi,
niſi & ipſam relinqueret pellem. Oper-
tos aliquos eſſe iniquitate, teſtatur
Pſalmiſta regius, & tamen de ijs notat
Hugo Card. *Nec tantùm ſicut tela oper-* (Hugo in in Pſ. 72.)
*ti ſunt, ſed etiam ſicut cute, nempe pra-
va conſuetudine ut illam dediſcere, vel
deſueſcere, non tam expoliari ſit, quàm
excoriari.* Et ſic tales conſuetudinarij
Excoriando (inſtar Bartholomæi) re-
veſtiri debent, quia magna violentia
opus, ut quis contractam à juventute
malam conſuetudinem exuat. *Vide Diſ-
curſ.10.*

*S. MATTHÆI APOSTOLI.*

## Thema.

Quare cum publicanis &
peccatoribus manducat Magi-
ſter veſter. *Matth.9.v.11.*

*PROPOSITIO.*

***Deus omnibus, etiam enormiſſimis
peccatoribus miſericordiam præ-
ſtat.***

CAlidiſſimus ſtruthionis ſtomachus
tantæ concoctionis eſt, ut etiam du-
rum concoquat ferrum. Hinc de ſtru-
thione: DEVORAT, ET CONCO-
QVIT. Indignabantur Phariſæi, quòd
cum publicanis & peccatoribus man-
ducaret Chriſtus, inde illum hominem
voracem proclamantes *Ecce homo vo-* (Matth. 11. v.19.)
*rax* &c. Sed nec ego hunc voracem,
negaverim, quippe qui per nimiam erga
peccatores ſympathiam, ita eorum eſu-
riat ſalutem, ut ferrea etiam & indura-
ta eorum vitia & peccata devorare, &
per calorem ſuæ miſericordiæ conſu-
mere non detrectet, ita enim amore ca-
lidum, Dei Filius, ſtomachum habet,
ut etiam duriſſima peccata, ac peccato-
res induratos devoret & per miſericor-
diam decoquat. *Vide Diſc.50.*

*S. MICHAELIS ARCHANGELI.*

## Thema.

Væ mũdo à ſcandalis. *Mat.18.v.7*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROPOSITIO.

*Parvuli magnatum maximè ſcandalis in ruinam trahuntur.*

HEliotropium ſolis aſpectu, & influxu in omnes flectitur partes: ideo non incongruè de Heliotropio dicitur: CIRCVMMOVEOR TECVM. Si Panorm. l.2.c.44. Panormitano fidem damus, idem de ſubditis (reſpectu Principum) dicere ſolebat ſapientiſſimus Aragoniæ Rex, Alphonſus: *Veluti heliotropium ad ſolis motum, ita populares ſemper in Principum mores verti, atque formari.* Et ſiquidem experientia docuit hoc ipſum inter angelos, quorum tertiam partem ſuperbus draco, ſua in abyſſum per ſuperbiam cauda traxit, multò magis inter homines locum habet, ut ſuperiorum ac magnatum ſcandalis ad malum trahantur parvuli, & ſubditi. *Vide Diſcurſ.9.*

SS. SIMONIS ET IVDÆ *Apoſtolorum.*

## Thema.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Ioan.15.v.24.*

PROPOSITIO.

*Alter alterum portare, & ſupportare debet.*

CAſtorem & Pollucem geminos, unicè ſe invicem amantes, inter ſidera excæcati retulerunt antiqui, qui ita alternis ſeſe ſublevarent laboribus, ut uno exoriente, occideret alter, & quaſi quieſceret, ut alterius iterum laboribus, & curſui ſuccedere valeret. De his appoſitè dixerim. AMOR ALTERNAVIT EVNTES. Duos nobis quaſi cæleſtes Caſtores hodie proponit ſancta Mater Eccleſia, utque eorum exemplo nobis mutuam imprimeret charitatem, ea Chriſti nobis proponit verba: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Vt ſcilicet Caſtorum more alter alterius ſuccedere laboribus, ac infirmitates & onera portare, atque ſupportare non detrectet. *Vide Diſc.49.*

OMNIVM SANCTORVM.

## Thema.

Quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum. *Matth.5.v.3.*

PROPOSITIO.

*Quantum gaudium inter Sanctos in cœlo, de ſuperatis periculis?*

TImidiſſima quadrupedum eſt dama, quæ tamen conſcenſis altiſſimis, & humano corpori inacceſſis rupibus, omne evadit periculum, & ſic conſcendit: ALTISSIMA TVTE. Tot caſibus & periculis eruditus homo, eſt timidiſſimus, & meritò paratam ab infernali hoſte ruinam undiquè pertimeſcit, at ubi ſemel ad montes æternos & altiſſimos Paradyſi conſcendit, tum verò altiſſima tute inhabitat: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Ps.90.v.9. Quantum ergo animæ de ſuperatis æterni interitus periculis in cœlo conjubilent, in præſenti exponam. *Vide Diſc.52.*

IN COMMEMORATIONE OMnium Fidelium defunctorum.

## Thema.

Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. *Apoc.21.v.27.*

PROPOSITIO.

*Deus etiam levia graviter punit.*

EXimiam in extenuandis & expoliendis filis ferreis dexteritatem adinvenit humanum ingenium, dum ferrum per anguſtiora ſemper trahendo foramina, ita ſucceſſivè extenuat, & expolit, ut nitidiſſimum ac ſubtiliſſimum filum repræſentet, traductum ſcilicet: PER ANGVSTA AD ANGVSTIORA. Vult Deus Sanctos ſuos omni carere inquinamento, & ab omni macula, ac nodoſitate vitiorum extenuatos, ac expurgatos in conſpectu ſuo comparere: Vnde etiam levia quæque peccata in hoc mundo per ſeveras & arctas traducit pœnæ & caſtigationis anguſtias,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtias, ut vel hinc diſcamus, quòd per anguſta adhuc ad anguſtiora trahantur in altero mundo, in anguſto ſcilicet purgatorij foramine, donec anima ab omni nævo, & rubigine extenuata ſit, & expurgata. *Vide Diſc. 30.*

*S. MARTINI EPISCOPI.*

## Thema.

Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. *Luc. 11. v. 34.*

*PROPOSITIO.*

*Finis ultimus hominis, Deus eſt, quo neglecto, homo toto cœlo aberrat.*

SOlaribus radijs expoſita coquitur in vite uva, quam parum juvat inconſtantis lunæ jubar, de hac enim NON MATVRESCIT. Sol juſtitiæ Chriſtus eſt, luna inconſtans, mundus. Ab hoc oculos ſuos meritò avertit S. Martinus, eoſque ad ſolem juſtitiæ conſtanter convertit: unde *Oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat*, ſuo nos inſtruens exemplo, etiam nobis oculos ſemper ad cœleſtia, & ſolem juſtitiæ, tanquam ultimum finem noſtrum dirigendos, quò cœlo maturi evadamus, qui enim ad inconſtantem & lunarem mundi lucem intentos habet oculos & mentem, cœlo non matureſcet, *Vide Diſc. 18.*

*S. CATHARINÆ VIRG. & M.*

## Thema.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. *Matth. 25. v. 2.*

*PROPOSITIO.*

*Magna animæ fatuitas, quæ mala ſibi toties annuntiata non præcavens, accepta demum deplorat, ſerò cum Phrygibus ſapiens.*

OBſcuratus originali peccato, mentis oculus, neſcit inter objecta maximè moralia diſtinguere, & imminentia mala præcavere, quare optico tubo, vel perſpicilijs prudentiæ juvari debet, hæc enim videre facit, PROCVL ET PERSPICVE. His perſpiciliis optimæ proviſæ erant virgines prudentes, & inter has maximè S. Catharina virg. & mart. quæ ſapienter præſentia ac ſenſibilia contemnens, futura ac noviſſima prævidebat. Sed multæ inter nos verſantur virgines fatuæ, quæ prudentiæ perſpiciliis deſtitutæ & præſentibus tantùm, ac ſenſibilibus adhærentes, annuntiata ſibi mala non præcavent, ſed accepta demum deplorantes, ſerò cum Phrygibus ſapiunt. *Vide Diſc. 40.*

*IN DEDICATIONE.*

## Thema.

Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. *Luc. 19. v. 6.*

*PROPOSITIO*

*Pœnitentia quo magis dilata, eò difficilior.*

SOlent bombyces miro à natura indito ingenio ex proprijs quaſi visceribus educere bombycina ſua fila, quibus non ſolùm ſe irretire, ſed inſuper etiam ſe quaſi in ovali pixide concludere, ac tumulare conſueverunt, donec ex vermiculo in alitem mutati, carcerem ac ſepulchrum à ſe factum effringant, ac libertate recuperata evolent. Quare bene de bombyce illud jactatur: ET FECI, ET FREGI. Fecerat ſibi ipſi injuſta divitiarum cumulatione quaſi carcerem & ſepulchrum, publicanus Zachæus, ſed uti inſtigante humani generis inimico *fecit*, ſic divina *fregit* opitulante gratia, *& feſtinans deſcendit.* Similem ſibi carcerem, & ſepulchrum quivis ſibi parat peccator, quem frangere, & quidem feſtinanter neceſſe eſt, quò enim diutius, frangere, ac evolare differet, eò difficiliùs factum ſibi voluntarium ſepulchrum effringet. *Vide Diſc. 28.* Item, de reverentia Eccleſiarum: *Diſc. 19.*